

17009

I. N. D.  
**CONSPECTUS**  
 Edendi B. c. D.  
**THESAURI ANTIQUITATUM**  
**TEVTONICARUM**  
 JOANNIS SCHILTERI, Jcti  
 Argentinenfis Famigeratiffimi.



Ovum opus tibi, Lector Optume, ex antiquis congestum; atque

illud, ut haud vane nobis pollicemur, vel tuo suffragio luce dignissimum paramus. JOANNIS SCHILTERI, Viri ob eruditionem exquisitam non inter Germanos solum Eruditos suo merito celeberrimi, sed & Gallorum, Anglorum, Danorum, ac Batavorum literis apprime culti, & insignibus eorundem elogiis condecorati, Thesaurum Antiquitatum Tevtonicarum: Annorum plurium studio incredibili, ferreo labore, nec minore ingenii solertia, quam judicii soliditate feliciter partim collectum, emendatum, Latine versum, notisque illustratum doctissimis; partim de integro concinnatum: qui tanto majore nobis in pretio esse meret, quanto diutius res Germaniae nostrae Veteris, linguam, sacra, leges, ritus, tum varia alia rariora expromit. Colimus haud immerito, & inter seculi nostri Ornamenta praecipua computamus magnorum virorum Graevii, Gronovii, Burmanni, Montfaucouii, Muratorii, &c. studia in colligendis Antiquitatibus Romanarum, Italicarum, Graecarum, denique omnis generis aliarum Thesauris, quos vastis voluminibus admirando nitore publico Literati orbis bono emittunt, aut nuper emisere. Suspicionem Anglorum, & quidem virorum è doctissima gente praecipuorum curam & industriam singularem in conqui-

rendis, edendis, illustrandis pro varia instituti ejusque ratione Monumentis Anglo-Saxonicis; quos inter Jac. Ulsterius, Jo. Seldenus, Henricus & Joannes Spelmani, pater & filius, Guil. Somnerus, Henr. Whartonus, Edmund. Gibsonus, Edw. Thwaitesius, Thomas Marshallus cum Franc. Junio; laudem maximam ferunt; vicit autem alios in hoc genere studiorum Georgius Hickesius, edito A. 1705. Linguarum Veterum Septentrionalium Anglo-Saxonicæ, Franco-Theoticæ, &c. Thesauro Grammatico-Critico, & Archaeologico: qui pudorem nobis Germanis inficere deberet, si otiosas plane mentes aut manus aberuendis istiusmodi veterum Germanorum literis atque monumentis abstraheremus. Quos præterea stimulare debent Olavius Wormius & Olavius Rudbeckius, Danus prior, alter Suecus in hoc literaturæ genere eminentes, scriptisque incluti: ne nunc de Justo Lipsio aliquid dicamus, qui & ipse hoc genus antiquitatis literariæ tetigit, aut de Paulo Merula, ut & M. Zwer. Boxhornio, Belgis, quorum est vel hoc etiam nomine gloria haud levis.

Verum si sane haud quidquam laudibus tot summorum ac doctissimorum virorum, modo recensitorum, detractum illo modo cupimus; merito tamen gratulandum eo plus genti nostræ censemus de Thesauro Tevtonico, quem nunc media in Germania Schilterus noster tam divitem, tam insigni rerum reconditarum apparatu varium, tam uberem monumentis sacris atque profanis, tam illustri Glossario ditatum, etiam post fata offert & effert per hæredem Orbi literario cupit, qualem hucusque dedit nemo. Meminimus utique, jam olim harum deliciarum guttu imbuisse nonnulli lectores suos, & specimen editis, doctos viros plurimum exhilarasse Joach. Vadianum, Beatum Rhenanum, Georg. Schobingerum, Melchiorum Goldastum, Marquardum Freherum, Dan. G. Morhofium, decora gentis nostræ: quibus & Mathiam Flacium, Illyricum, civitate velut inter nos donatum, non sine multæ laudis præfatione, accensimus. Veneramur porro labores Petri Lambecii, quos vir omnigenæ eruditionis vastique ingenii tot inter alia, quæ agit, etiam linguæ librisque Tevtonum & Francorum præcorum infumit, dum secundo immortalis de Bibliotheca Vindobonensi operis tomo Evangelium ac Psalmos Otfridi Weissenburgensis aliaque monumenta recenset. Est porro doctis viris magno in pretio, quod in Specimine Otfridiano dedit nostra ætate monumentum suæ in antiquitate Franco-Tevtonica doctrinæ profundæ, judicii acris, & peritiæ criticæ insignis Diedericus von Stade: nec viliori habentur, quæ nuperrime præstitit in nova Salicæ Legis editione Jo. Georg. Eccardus, erudita. Interim nemo nos nimium dixisse judicabit rerum peritus, & æqua labores lance ponderans: si hos omnes à B. Schiltero longo post se intervallo relictos affirmaverimus: quippe cui cordi serio fuit, non solum ex omnibus proficere, quoad licuit; sed & dum libros tot veteres, editos atque Manuscriptos nocturna versare manu, versare diurna consuevit, annotare semper lubuit, explicare, observare ex iisdem libris sexcenta, quæ aut exciderant aliis, aut non satis expensa diligentiam fugerant, aut inobservata remanserunt. Neque nunc primum profecto fama magni Operis emanat. Jampridem proluiones non unæ doctos ubique viros in amorem Schilteri, imo in admirationem rapuisse constat, & è subjectis infra testimonii ipsorummet luculentissime constat. Maxime vero suspensas tenere illos edita jam dudum A. 1698. Otfridi, Notkeri, & Glossarii sui Franco-Alemannici specimina: quibus visis dici vix potest, quantopere urserint Schilterum undique eruditi; videlicet nil nisi præclarum ab illo, etiam impatientius expectantes. At ille festinandum minime ratus in labore difficili, tum aliis obrutus laboribus, tum bibliopolam adsumtis typis erogandos promptum non facile divinans, in colligendo tamen, observando, augendo assiduus, dum infudat operi, dum expolit illud semper, dum editioni parat, dum quærit bibliopolam cujus fidei tradatur, senium grande contrahit. Neque sic tamen facile sine linea diem unum abire sinit; donec eum in statum poneret, ut edi vel post fata sua posset. Atque sic diem clausit Vir Beatus supremum.

Spe



Ende

Anfang